



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Tabvla Legvm Ecclesiasticarvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

fitate vitæ præsentis & futuræ. Sed quomodo potest aliquis deuotas ad Deum preces effundere qui non habet intime rectam fidem in eo? Non habet sane post transitum eius portionẽ aliquam cum Christianis in requie sanctorum, nec sancta communione dignus, nec vere Christianus habendus est qui non vult eam discere: nec ad eum iuste pertinet aliquem in sancto baptismo suscipere, nec a manibus episcopi in confirmatione, & datione Spiritus sancti, antequam bene sciat eam. Et docemus vt a summis criminibus totis viribus caueamus in omni tempore, & qui impulsu diaboli in peccatum inciderit, propensius emendet consilio pœnitentiæ suæ. Et ab immundis gaudiis & iniusto concubitu vel adulterio caueatur. Et omnes Dei timorem & amorem in mente habeant: diebus ac noctibus a peccatis fugiant: diem iudicii metuant, & inferni cruciatus, & semper vltimum vitæ suæ terminum cogitent aduenisse. Christi sunt præcones & doctores legis Dei, qui prædicationibus & exemplis Dei debent mysteria declarare. Curet qui velit: quia superuacue pastor est qui commisso sibi gregi non vult saltem clamore succurrere, si quid ei noceat. Non est aliquis tam nocens aduersarius sicut accusator humani generis inimicus, qui totis semper visceribus inhiat, totis æstuat desideriis, quomodo plures animas pertrahat in supplicium. Sit itaque pastorum solertia peruigil, & attente proclamans qui contra spirituales nequitias debet populo prouidere. Qui sane sunt episcopi? Sacerdotes qui gregem Domini doctrina debent sapienter custodire, & defendere ne diabolica vesania vulneret vel occidat. Ei qui Dei præceptis obedire neglexerit, hoc cum ipso Deo commune habeat.

---

LEGES ECCLESIASTICÆ

CANVTI REGIS E SÆCVLARIBVS

SVIS COLLECTÆ.

TABVLA LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- |   |   |
|---|---|
| I. <i>De misericordia in iudicio habenda.</i> | III. <i>De sortilegis &amp; veneficis.</i>    |
| II. <i>Ne Christiani vendantur.</i>           | IV. <i>Si quis ministrum altaris occidat.</i> |



- V. *Qui ordinatum vel alienigenam malignabit.*  
 VI. *Si quis ordinatus hominem occidat.*  
 VII. *Si quis clericus ligetur vel verberetur.*  
 VIII. *Si clericus se forisfaciat.*  
 IX. *Si quis\* confiteri velit, & negaturet.*  
 X. *Ne quis occidatur in die dominica.*  
 XI. *Si liber festis diebus operetur.*  
 XII. *Si seruus operetur.*  
 XIII. *Si Dominus suus cogat eum.*  
 XIV. *Si liber legitimum ieiunium infringat.*  
 XV. *Si seruus hoc agat.*  
 XVI. *Si quadragesimale ieiunium infringatur.*  
 XVII. *Si quis Dei recta per vim superteneat.*  
 XVIII. *De coniugiis infractis.*  
 XIX. *De stupris.*  
 XX. *De virgine oppressa.*  
 XXI. *De vidua similiter oppressa.*  
 XXII. *De adultera.*  
 XXIII. *Qui plegium regis vel archiepiscopi vel aldermanni infringerit.*  
 XXIV. *Si quis excommunicatum vel utlagatum habet.*

*Edictum regis in opprimendis vitiis & augendis virtutibus.*

## P R O O E M I V M.

**H**ÆC est institutio legum sæcularium, quam communi sapientum meorum consilio per totam Angliam teneri præcipio. In primis volo vt iustæ leges erigantur, & iniustæ subuertantur, & omnis iniustitia quanta possumus obseruantia de finibus nostris farculetur & explantetur, & Dei iustitia modis omnibus exalteretur: & amodo reputetur omnis homo publica dignus reëctitudine, pauper, & quicumque diues sit, & eis iusta iudicia iudicentur.

## LEGES ECCLESIASTICÆ.

## I.

Si quis peccauerit, & seipsum profunde forisfaciat, temperetur in eo iustitia, sicut erga Deum sit clementius, & in sæculo tolerabilius: & multa sedulitate cogitet qui ius habet in iudicio, quid sibi postulet a Domino dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus: Et non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Prohibemus ne Christianus aliquis penitus pro parua re saltem ad mortem seducatur: sed exquiratur pro necessitate populi iustitia pacificans, ne pro leui re dispereat opus manuum Dei, & suum ipsius præcium quod profunde redemit.